

tum moribus, tum reipublice : corrumpuntur enim mores per venalitatem inductam in mentibus plebis : respublica exponitur damnis ex malo candidato et perversis legibus ; 3^o Hoc peccatum, grave ex genere suo, esse etiam ex genere suo materiam necessariam confessionis et contritionis, nec expectandum esse a poenitentibus donec de eo confessarius inquirat : 4^o Item malum esse grave recipere pecuniam pro suffragio omittendo.

De restitutione vel poenitentia salutari a confessariis injungenda, nihil omnino dicant concionatores, quia pendet a multis circumstantiis quae ponderandas sunt a confessariis.

II. Confessarii : 1^o Antequam suffragium datum fuerit vel omissum pro pecunia, vel si conditio contractus illiciti non fuerit impleta, omnino exigant ut restituatur pecunia ei qui eam tribuit ; nondum enim impleta conditione culpabili, dominium non fuit acquisitum, et censetur non posse acquiri, quia conditio turpis est moraliter impossibilis ; 2^o Si confessio fiat post impletam conditionem contractus, non possunt imponere restitutionem proprie dictam (vide Gury, *De contractibus*, No. 760 ; S. Alph. Lib. III, No. 712), sed bene valent injungere eleemosynarum erogationem, tanquam novae vite custodiap et ad præteriti peccati vindictam et castigationem, ut ait Trid. sess. XIV, cap. 8, (vide Gury, *De paenitentia* No. 521.) Haec posterior regula non est absoluta sicut prior : summa cum prudentia applicanda est et consideratis omnibus circumstantiis locorum, personarum et culparum. In dubio potius abstinendum. Calamus quassatus non est rumpendus. Infirmi in fide benigne suscipiendi. Cum pauperibus et rudioribus mitius agendum. Aliquando pars pecuniae tantum est elargienda.

Caveant præsertim confessarii ne sibi suspicionem avaritæ aut cupiditatis acquirant, eleemosynarum illarum distributionem sibi reservando.